S. Legi prolixam tuam epistolam, Meninge frater dilecte et observande, qua rur-
sus te et tuam illam propositionem excusas atque defendis. Ego vero quod toties di-
xi, rursus dico, me non negare, eam commoda interpretatione mitigari posse,
sed mihi non probari eos, qui in Ecclesiam phrases novas, Scripturis sacris et
eruditae vetustati incognitas invehunt, quae interpretatione opus habent apud
populum, cui nos clare, perspicue et aperte loqui convenit. Et miror te tam
constanter (ne quid aliud dicam) pugnare pro ea locutione, qua in cathedra
sacra minime utendum esse, ipse fateris: Cumque te idem nobiscum sentire
testeris, nolle tamen idem nobiscum loqui, sed obscuris phrasibus delectari,
et contra fratres pro iis contendere, quae neminem aedificant, multos
autem offendunt, et ~~..~~ Ecclesias turbant. Quia ergo Christianam ἐπιεί-
κειαν neque tibi neque adversarijs tuis persuadere possum, ego, qui multis
alijs occupatus sum, et à contentionibus natura abhorreo, nolo posthac bo-
nas horas male collocare, neque me huic controversiae porro immiscere volo.
Deum autem, qui pacis Deus est, precor, ut vobis quoque suam pacem largiatur,
ut utrique cogitetis, rationem olim reddendam esse Christo iudici, si coenam suam
mysticam, quam ipse christianae societatis atque unionis sacramentum esse voluit,
in fomentum contentionis convertamus. Interim vos amare non desinam,
sed ut fratres colam et observabo, sperans fore aliquando, ut ubi animorum
exacerbatio deferbuerit, aut aliqua communis necessitas inciderit, vos
re diligentius perspecta veritati cessuros, et maiorem rationem aedifica-
tionis Ecclesiae habituros, quam privatae existimationis. Quod ut Dominus
vobis utrinque largiatur, toto corde precor. Vale mi frater et domine
observande. Tiguri 25 Augusti. Anno nati in carne Christi 1580.

Tuus Rodolphus Gualtherus.

1580. Aug: 25.

Erudito et pio Vi-
ro, Dno Marco Me-
ningo, Ecclíæ Bremẽ-
sis Superintendenti,
domino et fratri suo
observando.

R. Gualtherus.

[illegible]